

tum minuit, alvi excretionem normalem turbat, glandulas tenuiores in abdominis cavo, easque inprimis, quae in intestinis sunt collocatae, obstruit, hepatis et lienis infarctus procreat, secretiones et excretiones sufflammat, cruditates in ventriculo generat, vomitus excedentes et molestas flatulentias commovet, cardialgiam, palpitationem cordis, congestiones ad caput, itaque dolores capitis, artuum tremores producit, somnum fugat, vires debilitat, interdum etiam vertiginem et stuporem, imo paralysin adducit et utrumque sexum ad liberos procreandos impotem reddere dicitur; in foeminis etiam leucophlegmatiam, passionem hystericam et fluorem album inde oriri videmus.

Infusi coffeae permistio cum lacte et saccharo in universum diaetetico usui melius convenit, quam merum infusum, cujus incitans virtus additamentis illis lenitur; quare etiam post lautam coenam, et hominibus, qui inter digestionem doloribus capitis facile vexantur, illa permistio minus commendanda est. Nimia sacchari copia infuso coffeae commixta fermentationem gignit, eademque omnia incommoda, ac sacchari aliarumque cupediarum abusus provocat. Lac neque pinguius neque aquosius esse debet, quia lac pingue coffeae decoctum difficile digestu, aquosius vero insipidam coffeam reddit. Coffeae infusum nebuloso et aspero coelo, vere et autumno, humida hieme optime fertur; neque ante prandium sed mox post illud hauriendum est, propterea quod ante prandium anorexiam potius, quam appetitum gignit; sed post prandium sine saccharo et lacte, ciborum coctionem adjuvat, et ventriculo irritantibus aut inflantibus cibis et calefacientibus potibus repleto gratum est. Inprimis aptum est viris et foeminis aetatis senilis, qui ad congestiones sanguinis proni non sunt, hominibus temperamenti phlegmatici, qui vitam sedentariam agunt et propter debilitatam corporis constitutionem fortioribus vitae incitamentis egent; iis enim segnes sunt coctionis vires, functiones systematis vasorum et nervorum labefactatae, et stimulo quodam subinde restaurari debent; quamobrem modicus coffeae usus etiam plurimis doctis est utilis. Minus aptum est infusum coffeae in universum aestate, sereno coelo, juvenilibus, plethoricis,